De hystrionibus, eorumq. comoediis et representationib.

Tractatus.

Ad Ill.mo S.mo D. Principi.

D. D.

Fr. Petro de Tapia, meritissime

Archiepiscopatum hispalense perfruenti.

Regisq. nostri Philippi

Conciliario.

Licenciatus, D. Christophorus a Grimaldo,

Cantilanensis Vicarius, Dedicat, offert

et consecrat.

Quibus nominibus debeam tibi Illme Princeps hoc meum minusculum consecrare nemini dubium esse pot, videlicet cum Baboleus ait in L. quod servus ff. de acquir. pos. omne quod servus acquirit etsi minimus sit domino suo acquirit. ego cum in tuo servitio (et indignus) sim constitutus, iustitia tribuere teneor quod libenter offero. Ut accipias rogo Illme Princeps serena fronte parvulum donum quale quale est, quod ex tua benignitate me consequuturum spero. — Vale —

Serenissime Princeps

Illus D. Xpophorus De Grimaldis

N. 1.

Priusquam aggrediamur ad quaestionem (pro nostri ingenii tenuitate) praemittendum duxi, pauca de origine, et ethimologia hystrionum: iuxta vulgares dialecticae regulas, pro quibus facit text. in L. 1. ff. de iust. et iure. Et primo supponendum est, hoc nomen hystrio, a thusco nomine hyster (quod illo idiomate Ludionem significat) ortum trahere: et ita aliquando hystriones, Ludiones appelantur, prout eos, appelat, Ioan. Raviscius: in sua officina. Verb. hystriones. aliquandoque vocantur, gesticulatores, gimnici, scenici, comedi, mimi, pantomimi, vt in glos. cap. vnico. de vit. et honest. clericorum verb. bufones.

N. 2. Primus, huius diabolicae artis inventor, apud Rom. fuit quidam Roscius natione Gallicus, omniumque peritissimus, qui talem habuit, gestus praestantiam, vt si in illa arte, aliquem perfectum volumus, veluti Roscium in scena dicamus; prout dixit, Cic. in lib. 2. de orat. et sicut Roscius primus apud Rom. fuit: apud Grec. Nicostrator, qui comediarum fuit inventor, habuit discipulum Polum, qui in tota Grecia hanc nefandam, atque execrandam, artem plantavit. tempore etiam Domiciani imperatoris, alius fuit

nomine Mimus, qui turpissimis gestis Christianos irridebat, qui sub illa persecutione, martyrium acceperunt. ita Ravisius ubi supra, cum aliis, traditis a Glos. in dicto cap. unico de vita et honest. clericorum in 6.

N.° 3. Hoc sic precognito, utrum hystrionum representationes, ludi, scena et chorea, licita sint videamus. Et hoc non omnino controversia est. Nam 1. videtur tale exercitium, non solum licitum esse, sed etiam necessarium, ut ipote populo ministrent et deserviant recreationis; maxime cum honesta recreatio omni iure permissa sit, sine qua difficillimum admodum esset, iuveniles, cohibere calores: ita Nevizan. in lib. 4. sylvae argum. 2. Silvest. in summ. verb. chorea. n.° 2.

N.° 4. Probat etiam ex eleganti, et difficili text. in L. unica. C. de maium. lib. 11. unde Imperatores Arcadius et hon: ita rescripserunt, Clementiae nostrae placuit ut maiumae provincialibus laetitia reddatur: ita tamen ut servetur honestas, et verecundia castis moribus perseveret. Text. in l. ut profanos. 4. C. de pagan. et sacrif. ubi absque ullo sacrificio atque ulla superstitione damnabili, exhiberi populorum voluptates, secundum veterem consuetudinem, inire etiam festa, conviviaque, quando exigunt publica vota decernimus. unde per istas rationes tenet Ang. in summ. verbo. chorea. n. 1.

N.° 5.

Nihilominus in data sententia, tenenda et amplexanda est, tanquam certissima, et omni iure aprobata: quae ut magis ac magis elucescat, priusquam ad responsionem agrediar, aliqua, ad opus necessaria, proferenda duxi. et primo ad- vertendum est, histriones, inter personas inhonestas, in iure numerari. ita sixtum in l. imperialis §. 1. et 2. C. de Nupt. ibi Mulieres autem quae ex scenicis quidem ludiis sese immixcuerunt, postea vero expreta mala conditione ad meliorem migravere sententiam, et inhonestam professionem effugerunt. et idem probat text. in l. si qua C. de spectac. scenic. et Sen. lib. 11. ibi aut vilem offerat histrionem. ex quibus satis constat inter personas numerari inhonestas. =.

N°. 6. Eosque, et eorum coemedias, admitendos non esse, a iure divino ortum trahere, non parum me mobet, illud Iob, cap. 21. ibi in (?) pii egrediuntur quasi greges, parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus, tenent timpanum, et citharam, et gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Idem probatur ex Isaia. cap. 3. ibi, pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant et plaudebant et ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant, decalvavit Dominus verticem filiarum Sion. unde D. Bernard. in suo serm. de conversione ad clericos. ita loquitur. Caeterum vana spectacula rogo, quid corpori praestant, quidve animae,

conferre videntur? aut certe nihil, in homine, cui curiositas proerit invenies? scibola prorsus, et inanis et nugatoria consolatio, nescio quid durius, illi inspicer quae semper habeat quid requirat qui invidiae, quietis pacem fugitans, curiosa inquietudine delectetur. hinc ille, sed non pauca, pro nra sententia, elucescunt ab Alex. in suo lib. 3. pedag. cap. 11. ibi prohibeant spectacula quae nequitia, verbis obscenis temere profusis. vana sit. quod enim turpefactum, non ostenditur in theatris? quod aut impudens verbum non proferunt, qui risum mobent scurrae et histriones. quibus addi pot. D. Chrisost. in hom. 62. ubi theatra apelat in ductiones malae cupidinis, meditationes adulterii, scholae intemperantiae, exhortationes turpitudinis, officinae luxuriae, himnacus publicum incontinentiae et fornicationis, pestilentiae cathedrae, et babilonicam fornacem, in qua qui combiruntur non sentiunt. item D. Aug. in lib. 2. de civit. Dei representationes apelat turpissimae caveae diaboli. ex quibus locis satis manifestus aparet representationes iure divino reprobatas esse.

7. Canonico iure histriones et eorum comediae, non solum reprobantur sed etiam histriones ab acusatione et actione repeluntur. Unde deterioris conditionis sunt in iure quam servi, probat text. in cap. deffinimus. 4. q. 1. ibi omnes etiam infamiae maculis aspersi id est histriones: et infra ab acusatione prohibentur: et in principio huius textus unt excommunicatos nominantur. ibi:

ad acusationem non admitti qui postquam excommunicati fuerint &c.

N°. 8. Maiore eos affligit pena text. in capite pro dilectione de consecrat. dist. 2. in quo prohibentur hystriones a maiori bono quod in cælo et interra potest inveniri, id est corpus dominicum, eos repellendo a communione altaris his verbis: pro dilectione tua, consulendum me existimasti frater charissime quid mihi videatur de hystrione? et infra an talibus sacra communio cum ceteris christianis debeat dari: aut vobiscum debeat communicare? puto nec Maiestati Divinæ, neque Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et infami contagione fedetur. Quibus verbis adde Maiolum de irregularit. lib. 2. cap. 5. in fine. Petrus Gregorius. et Veritaguin. cum aliis quam plurimis a DDos. traditis. quæ decisio et doctrina procedere debet, nisi hystriones humiliter petant sacrosanctam Eucharistiam cum proposito iterum non utendi officio, iuxta doctrinam textus in cap. sequenti in dicta dist. 2. ibi nisi conversis et reversis ad dominum, gratia vel reconciliatio non negetur. =

N. 9. Preterea quod non possunt tali officio utentes ad sacros ordines promoveri, et si de facto recipiant deponi precepit Bonifac. VIII. in cap. unico de vit. et honest. cleric. in 6. ubi clerici, qui clericalis ordinis dignitati, non modicum detrahentes, se ioculatores seu goliardos faciunt aut bufones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint ipso iure. si autem tempore breviori et tertio moniti non resipuerint, careant omni privile-

gio clericali. Ubi Glos. verbo ioculatores et dicit qui faciunt spectaculum proprii corporis. Et verbo bufones, eos hystriones appellat; sed hac doctrina non comprehenduntur clerici, qui in oculto, recreationis, seu infirmitatis causa, hoc faciunt. ut add. notatur, in cap. donare 86. dist. Et an si clericus, a tali officio resipuerit, iterum gaudeat, clericali privilegio invenies in authent. de Sanct. Episcop. §. interdicimus. Et de pena clericorum tavernas egredientium, plura notatu digna traduntur a Ioan. Gutierrez in suis canonicis. q. lib. 2. cap. 4. per totum.

10. Altera pena, qua eos ius canonicum punit, est prohibendo, ut hystrionibus, nihil possit donari. probat text. in cap. donare. 86. distinct. ibi res suas hystrionibus donare vitium est immane, non virtus, et sicut de talibus, quorum sit frequens fama cum laude: quia laudatur peccator in desideriis animae suae, et qui iniqua gerit benedicitur. Et in cap. sequenti tales donationes equiparantur his, quae, propter fornicationem, meretricibus largiuntur. ibi, qui dant hystrionibus, qui donant meretricibus. Et infra. non atendunt qui talia faciunt naram operis Dei sui. et iniquitatem operis humani. Unde post istam doctrinam, meo videri sustineri potest consuetudinem illam huius hispalensis civitatis, quam per multorum temporum curricula, observari vidi; nempe quod Ecclesiasticae personae nihil hystrionibus solvant, nec donent, (sicut ceteri faciunt) ad ingressum comediae. Unde clerici ingrediendo, turpiter

facunt, et non faciunt turpit, non solvendo. argum. text,
in l. 3. ff. de conditionibus ob turpem causa.

Nº. 11. Mortaliter peccare ad comedias assi-
stentes, asserit D. Thom. in 2. 2æ. q. 167. art. 2. in
responso ad 2. ubi docet vitiosam spectationem esse, ut
pote invitatrix lasciviæ: Caiet. in eodem loco, eos non
excusat, (etiamsi tantummodo delectationis gratia assistant) un-
de asserit, viros graves graviter peccare tali utendo exer-
citio, ratione scandali: et graviter gravius Religiosos, quibus
specialiter, prohibitum extat in cap. presbiteri 34. dist.
cuius textus verba sic se habent: presbiteri, diaconi, sub-
diaconi quibus ducendi uxores licentia modo non est, etiam
alienarum nuptiarum, evitent convivia: neque his cetibus
misceantur, ubi amatoria cantantur, et turpia aut obs-
ceni motus corporum, choreis, exaltationibus efferuntur: ne
auditus, et obtutus sacris misteriis deputati, turpium
speculatorum atque verborum contagione polluant. ex
quibus verbis sat meo videri reiici potest, pravam illam
consuetudinem, (quam non sine dolore dicendum) in villis et
castris huius archiepiscopatus observari vidi. nempe quod
clerici et quod magis est Parrochi, qui maiore obligatione
se pergunt, unit gulas conviviorum, saltus, ebrietates,
et lascivias, (quæ iucunditas sæpe contingunt non dedignan-
tur asistere, primum locum obtinere in conviviis, et similibus
obscænis saltibus delectari, cum periculo animarum. merito

Namque Dominus ac Dominus meus D. Fr. Petrus á Tapia

huius Diocesis meritissimus Archiepiscopus, (me presente)

fiscali suo precepit ut provideret, ne ad comedias assisterent

Religiosi, cum omni diligentia et cura. O' Sanctissima admodum

Constitutio! Utinam non solum religiosi sed omnes etiam

qui sacratissimi baptismi signo sumus recogniti, átam illi-

cita, et inani occupatione arceremur: Sed tanto pastore duce,

spero etenim, á republica christiana hoc pessimum, et fedum

abusum abolendum esse. Sed ad nostrum propositum deveniendo,

peccare lethaliter frequentantes comedias cum AA. etiam supra

relatis tenet Durand. in 4. sentent. cum aliis: inter quos

omnino videndus Basil. Magnus de legendis libros Gentilium.

Quorum omnium doctrina intelegenda est cum moderamine et

á nobis in responsione ad argumenta assignabitur..

N°. 12. Ius etiam civile ad canonici similitudinem, hystriones

eorumque comedias variis in locis condemnat. 1° eis infamiam sub-

iungendo, prout videre est in l. 2. §. ait pretor ff. de his que

notantur infam. ubi ait pretor, qui in scenam prodierit, infamis

est, et infra scena est que ludorum faciendorum causa quolibet loco

ubi quis consistat, moveaturque spectaculum sui prebiturus in publico.

et paulo post eos enim qui questus causa hoc faciunt famosos esse.

posita mihi videntur illa verba questus causa, ut merito cog-

noscatur, non idem intelegi in his que causa delectationis fa-

ciunt: ut supra diximus, facit Ppos. in dicta l. verb. diffinit

ex qua possum colligi quod si saltatrices et ioculatores, ad instrumenta

Sonium infames sunt, si mercede hoc publice faciunt, non debeat extendi, nisi ad eos tantumodo qui sunt parati hoc pro pecunia facere: unde meo videri excusantur Joculatores, quos materno nomine (dansantes) appelamus qui in solemnitate corporis Christi, Beatae Mariae, et aliquorum Sanctorum simile se exercent actus ad venerationem et solemnitatem, ut David faciebat ante arcam Dei. idque probat text. in L. 2. §. de dignitatib. Paulus Oros. Lib. 4. cap. 21. =

N.º 13. Apud Rom. a quibus militia maxima colebatur veneratione, constitutum erat, quod milites, si histrionis officium exercerent decapitarentur, probat text. in L. quaedam delicta ff. de poenis ibi: quaedam delicta pagano aut nullam, aut leviorem poenam irrogant, militibus graviorem. nam si miles artem ludicram fecerit, vel in servitute se venire passus est, cap. puniendus. idque tenet Glos. in dicta L. 2. ff. de his qui notantur infamia. Petrus Greg. in cap. 5. N.º 19. ex quo colligi pot. quod ubi maior est dignitas ibi maior est obligatio. ita D. Greg. in hom. 9. merito dicit cum enim augentur dona rationes etiam crescunt donorum. =

N.º 14. Altera poena est ut si histriones in testamento paterno praeteriti, seu exheredati sint: non possunt intentare querelam de inofficioso testamento. probat auth. ut cum de apelat. cognoscitur. §. aliud quoque capitulum Collat. 8. unde inter iustas causas exheredationis filiorum, ista numeratur. quae militat, nisi Pater eiusdem professionis sit, quia tunc filium exheredem facere non posset. aut si Pater consensum praebuit ut filius tali uteretur

officio vt constat ex verbis dictis authoris, ubi nisi forsitan etiam parentes eiusdem professionis fuissent nam nihil indeus Iudeo et nihil dolosus doloso. L. in arena c. de inofficioso testam. L. si duo c. de hereticis. =

Nº 15. Ex rationibus supra traditis sat potest cognosci de testandas hystriones artes illicitas esse: tamquam reipublicae christianae perniciosas, et corruptrices aurium suo melodico cantu, cuius diversio, regissime libidines parit: cum itaque tot mala ex. musicae mediis exoriantur, necesse est vt ii, quibus populi cura et custodia demandata est omnem adhibeat diligentiam, ne turpes hystriones, vrbes et civium domos inficiant, eos non admittant, aut admissos repelant. vt Tiber. Cesar fecisse legitur in Corn. Tacito Lib. 1 Annal. et nostris temporibus Serenissimus Imperator Carolus V. hispaniarum Rex potentissimus, constitutionem fecit, de hystrionibus expelendis. vt refert Petrus Greg. Lib. 34 synthag. Iur. cap. 16. in fine. =

Nº. 16. = Sed iam iam vt magis ac magis nostra veritas elucescat, ad opiniones in contrarium responsionem demus. Et 1º. non obstat Nervisanti dictum. fateor quidem iuveniles calores necesse esse aliquo opere laetitiae diverti: nego tamen quando ipsa diversio peccaminosa est: quia magis difficile est in illa etate a fornicatione abstinere: et hereticus erret asserere, hac licere ratione illicitis. Et peccaminosum est turpes comedias audire: quod non potest etatis ratione honestari, principaliter cum hoc praeceptis non peccabis negativum sit, quod semper et ad semper obligat. vt teriet

D. Thom. 1a 2æ. q. 62. art. finali. Navar. in manuali cap. 17. quibus asentit com. Theolog. senten. =

N.º 17. Neque predictis obstat L. Maiuma C. de Maiuma pro sacrio tradita, ad cuius solutionem premitendum est Maiuma dici quoddam festum quod apud Rom. mense Mayo celebrabatur a quo nomen accepit, ut in eius Glos. traditur, et in margine Suidas citatur: sed illud festum honestum erat et verecundum ut ex verbis dictæ Legis constat: et sic nihil contra nos facere videtur, dum non reprobamus comedias si debito modo recitentur, et exemplares sint veluti de Sacra historia, ut aliquando de Iudith. Susana, et de aliis historiis honesto modo recitari vidi sine verbis Lascivis et peccati provocativis. =

N.º 18. Eodem modo potest responderi ad Textum in L. ut profan. C. de paganis et sacrificiis, quia ex verbis ipsius satis manifeste cognoscitur honesto modo illud festum fieri debere. quod in nostris comediis non adaptatur: et quando prout videre est nihil inconvenientis sequeretur, nisi tantummodo vestimenta virilia, quibus mulierculæ se se componunt, hominibus manifestando, quod natura in feminineo sexu, suis inclusit Legibus: mihi videretur indignum, quoniam mulieres adornari non debent hominum ornamentis, quod si fecerint puniendæ sunt, prout Romani faciebant eas excludendo ab iniuriarum actione. probat Textus in L. item apud Labeonem 15. §. si quis virgines ff. de iniuriis: in cuius textus specie Ulpian. agit utrum competat actio iniuriarum virginibus,

adversus eos, qui sua judicia atentaverunt. Et Consultus

cus dist. respondit: aut erant virgines virginali ornatu

adornatae. aut meretriceo, 1º modo eis dabitur actio, 2º

non ita, quia talis quis esse presumitur, qualis habitu re

pertur. ita tenet Glos. in dicta l. 15. quod est valde no

tandum pro sacerdotibus, qui laicorum more sese adornant

et quod magis est, comam relaxant, contra doctrinam textus in

cap. si quis 23. dist. ibi si quis ex clericis comam relaxaverit

anathema sit: et de clericorum poenis, qui tale faciunt, vi

de cap. 2. ne clerici vel monachi. et quod possunt a judice

laico incarcerari ut eos ad ecclesiasticum mittat tenet Greg.

in l. 2. tit. 7. p. 5. v. prender. Abend. in capitulis

pretorum cap. 22. n. 2. Clar. §. finali. q. 28. n. 6.

Acebed. in l. 9. t. 3. lib. 1. recopilationis. = =

Nº. 17. Sed nunc restat videre, Chato Caro, quod

histriones expellant a regno (quod Deo fabente spero) an iu-

dex ecclesiasticus seu secularis habeant cognitionem, et ad quis

eorum pertineat, de remedio providere, ut tot mala evitentur.

in quo casu duas opiniones invenio: pro ecclesiastico facit

textus expressus in cap. novit de iudiciis, ubi statuitur, quod

omnes laici peccati ratione efficiatur de foro episcopi: sed hec

causa peccati est, ergo iudex ecclesiasticus debet cognoscere. ita

tenent Canonistae in dicto cap. novit, inter quos Magistraliter

Beluga. in suo speculo Principum rubrica 42. §. quedam

nº. 23. ubi in rubrica 17. §. si alter nº. 18 afirmat posse

Ecclesiasticus iudicare super hoc poena temporali, dummodo pecunia- ria non sit, ut in cap. Licet de poenis. Francisc. Martius in de- cisionibus decisione 123. nº. 8. =

Nº. 20. Pro seculari facit illud D. Isidori in lib. 3. Sententiarum cap. 35. ubi asserit quod Princeps secularis, qui potestatis culmina tenet cognoscere debet ut Religio conservetur per terrorem poenae ut sic peccata evitentur, et Ecclesiastica mi- nistratur disciplina. Et a Luc. de poena. iudices seculares appe- lantur templum Dei in l. praedia. C. de locat. fund. patrim. lib. 11. Ioann. Igneus in l. fidei commissum ff. ad Senatus consultum Sylan. et aliis in locis dicti iudices appellantur Dei simulacra et ministros Dei ad curam et salutem hominum ut videre est per dictum Ioannem Igneum ubi proxime. = =

Nº. 21. Item pro seculari facit, quod cum hystriones sint seculares ad eum pertineat de eis cognoscere. ut in cap. 2. de foro comp: idem per. in legibus huius regni, praecipue in tit. 1º. lib. 4. recopilationis. ubi Azebed. idem tenent Aviles. et Villa- dieg. in capitulis praetorum. cap. 20. et facit quod in exemplis a nobis supra traditis, Principes seculares hystriones a civitatibus suis ex- pulierunt. ergo similiter hodie dicere debemus. = =

Nº. 22: Quid dicendum? sed meo videri in prae- proposita distinguendum esse arbitror. aut sumus in casu, in quo de poena corporali agere debeatur, veluti de carcerando, fustigando in exilium mittendo etc. et tunc militat pro seculari: aut agi=

mus de spiritualibus poenis veluti de excommunicatione, suspensione, irregularitate etc. quia tunc pro ecclesiastico decisio militat, qui non tantummodo potest de hoc cognoscere, sed etiam praecipere ut histrionibus sacra communio denegetur. ut in dicto cap. pro di lecte. diximus; aut quod eorum ordinetur nemo: potest etiam edicto suo declarare, et populus certiores facere, haec inhonesta spectacula, iure divino et positivo prohiberi: et excommunicationis poenas indicere adversus contemnentes, et sic casus iste mixti fori est, iuxta notata in cap. ut animarum de constitutionibus Glos. in Clement. ne Romani de electionibus. Franc. in cap. ea quae de regulis iuris in 6. Bot. in tractu de Sinodo Episc. cap. 3. art. 1. p.te 3. n.o 114.

Quibus autoritatibus ad nostri tractatus finem ponimus =-